

# NOVUM TESTAMENTUM

## PARS III.

### SEPTEM EPISTOLAE CATHOLICAE ET APOCALYPSIS

#### OPUS POSTHUMUM

*Jacobus, Petrus, Ioannes, Iudas septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quam succinctas, et breves pariter et longas: breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit, qui non in earum lectione caecutiatur.*

S. Hieron., Epist. 103 ad Paulinum.

*Apocalypsis Ioannis tot habet secreta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis; laus omnis inferior est: in verbis singulis multiptices latent intelligentiae.*

Idem in eadem Epist. c. 7.

#### BENEVOLE LECTOR

Clarissimi viri LAURENTII VETH praesens hoc opusculum est. Propria illius manu conscriptum, post mortem inventum est in mensa cum caeteris chartis. Tu utere in salutem tuam, precare requiem mortuo: ante omnia dic laudem Deo, qui quod se auctore coeptum est, pro sua bonitate non voluit esse imperfectum.

#### SECTIO I.

##### DE SEPTEM EPISTOLIS CATHOLICIS

In vulgata editione sacrorum bibliorum epistolas s. Pauli proxime sequuntur septem aliae epistolae diversorum apostolorum, scilicet epistola una s. IACOBI, geminae s. PETRI, tres s. IOANNIS, una s. IUDAE, quae passim *catholicae* sive *universales* nominantur, tum quod catholicam fidem, legem, ecclesiam describant et commendent catholicis ubivis locorum ac temporum existentibus; tum quod non ad unam

personam, civitatem aut locum, ex. gr. *ad Timotheum, ad Romanos, ad Corinthios* etc., sed ad omnes ubique variis in provinciis dispersos scriptae sint, praeter epistolas secundam et tertiam s. Ioannis ad personas particulares datas. Verum id non obstat, quominus a maiore parte sumatur denominatio, proindeque septem illae epistolae appellantur *catholicae*, vel etiam *encyclicae, orbiculares*, aut *circulares*, ut

eas graeci, quemadmodum *Theodoretus* et *Oecumenius*, vocant (1). Caeterum eadem septem epistolae alio quoque nomine etiam appellantur *canonicae*: quia scilicet fidelibus apostolicum canonem seu regulam, normam et formam recte et christiane vivendi praescribunt: et quia canonicam s. Scripturae, veritatisque a Deo revelatae auctoritatem, dignitatemque obtinent.

#### CAPUT I.

##### De epistola B. Iacobi.

Scopus et argumentum huius epistolae est, PRIMO, animare fideles ad constantiam in persecutione, quam patiebantur a iudaeis et gentibus. Ita enim in exordio illius dicitur: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis*; ac deinceps graphice invictae patientiae decus et maiestas depingitur. SECUNDO, Commendantur in hac epistola bona opera, quae *Simon Magus* et eius asseclae, s. *Pauli* doctrinam in pravam sensum detorquentes, ad salutem superflua esse volebant.

Quinam autem sit huius epistolae auctor, non una est omnium sententia. Negat *Lutherus* esse s. *Iacobi* scilicet apostoli, aitque memoratae epistolae auctorem fuisse neque apostolum, neque Domini discipulum, sed discipulorum discipulum, vel eo quid minus; bonum tamen virum. Similiter *Erasmus*, cum auctori-

tati scriptoris huius epistolae multum derogasset, subiungit: *Supervacuum arbitror, anxie de auctore digladiari* (2). E contrario alii cum tota ecclesia catholica eandem epistolam adscribunt s. *Iacobo* apostolo; quamvis inter se certent, quisnam fuerit ille *Iacobus*. Nonnulli hispani (3) eam tribuunt *Iacobo* filio *Zebedaei*, qui cognominatur *Iacobus maior*, et erat frater s. *Ioannis* evang. (4), occisus ab *Herode* Actor. 12, v. 2, ac celebratur ut patronus Hispaniae. Verum alii passim, et veteres et recentiores, epistolam, de qua agimus, tribuunt s. *Iacobo Alphaei*, qui *minor* (sive aetate, sive vocatione, ut vult *Lorinus*; sive statura, ut vult *Fevardentius*; sive quo alio respectu) cognominatur. Alii denique distinguunt *Iacobum Apostolum* ab episcopo Hierosolymae, tresque faciunt *Iacobos*, primum *Zebedaei*, secundum *Alphaei*, utrumque apostolum, tertium fratrem Domini, qui fuerit episcopus dumtaxat (non apostolus) Hierosolymae, scripseritque hanc epistolam. Ita ex antiquis *Epiphanius* (5), *Dorotheus* (6), *Clemens* (7), alique a *Cornelio a Lap.* (8) citati. Ex recentioribus vero *Godefridus Henschenius* in actis sanctorum Bollandianis (9), et *Ignat. Weitenauer* (10) contendunt, scriptorem memoratae epistolae solummodo vocari *apostolum* honoris causa, non vero fuisse apostolum ex duodecim unum. Neque contrarium, inquit, evincitur ex illis *Pauli* ad

(1) Vide cl. *Hermann. Goldhagen* p. 3, introduct. in s. Script. sect. 2, n. 291, pag. 445.

(2) *Ibid.* loc. cit. n. 294.

(3) A de *Cornelium a Lap.* in prooemio comment. in epist. s. *Iacobi*.

(4) Vide *Matth.* c. 4, v. 21.

(5) *Haeres.* 76.

(6) In *Synopsi*.

(7) L. 2 *Constit. Apost.* c. 59.

(8) In prooemio comment. in epist. s.

*Iacobi*; et in comment. eiusdem epist. c. 4, v. 4.

(9) Tom. 4. aprilis ad eius diem nonam de s. *Maria Cleophae* c. 4 breviter, et tom. 1 maii, die prima, in commentario praeyio de genuino s. *Iacobo*, praesertim § 4.

(10) In dictionario suo biblico, art. *Iacobus*. Item in suo comment. in epist. s. *Iacobi* c. 4, v. 4, et in *Evang. Marc.* c. 15, v. 40.

Galat. 1, v. 19: *Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*, nempe eum ipsum, qui Hierosolymae fuit episcopus, et epistolam iam saepius laudatam scripsit. Vocatur enim, aiunt, hoc loco *apostolus*, sicut *s. Paulus* nomine *apostoli* honoratur, licet non fuerit ex numero duodecim apostolorum. « Sane ipse *s. Paulus* (inquit *Henschenius* (1), quamvis non fuerit ex duodenario apostolorum numero, seipsum tamen *apostoli* titulo honorat, dum ita epistolas suas auspiciatur. *Paulus apostolus Iesu Christi*; *Paulus, vocatus apostolus*; *Paulus servus Dei, apostolus Iesu Christi*; *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum*. En, sicut *Paulus* seipsum . . . . *apostoli* titulo honorat, ita et (ad Galat. loc. cit.) *Iacobum fratrem Domini*, quamvis et hic ex duodenario apostolorum numero non fuerit. Verum ipse *Iacobus* valde modeste epistolam suam canonicam (non nominando se *apostolum*, sed *servum Christi* dumtaxat) auspiciatur his verbis: *Iacobus, Dei et Domini nostri Iesu Christi servus, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione, salutem* ». Ita *Henschenius* loc. cit.

Verum his insuperhabitis fatendam, ut iam supra indicavimus, communem esse sententiam, non esse tres distinguendos *Iacobos* illos, et scriptorem epistolae, de qua hic agimus, esse unum e duodecim apostolorum numero, nempe *Iacobum Alphaei*, episcopum Hierosolymae. Ita praeter plurimos alios teste cl. *Goldhagen* (2), etiam sentit *Benedictus XIV*, in hist. apost. sic inquit: « Ego *Chrysostomo*, *Augustino* et *Hieronymo* plus quam illis

(1) Tom. 1, loc. cit.

(2) Introd. in s. Script. p. 5, n. 294, vide hanc in rem etiam n. 295.

credo; atque ut plus credam, a. Pauli facit auctoritas, qui scribens ad Galatas cap. 1, v. 19, *Iacobum fratrem Domini* in numero habet apostolorum; siquidem affirmat se praeter hunc et *Petrum* ex apostolis vidisse neminem ».

Atque haec loco prooemii in exponendam epistolam *s. Iacobi* commemorasse sufficiat. Plura de triplici *Iacobo* disserunt cl. *Goldhagen*, et *Henschenius* locis paulo ante citatis.

1. QUÆRES I. *An et qualis IACOBUS APOSTOLUS in Hispanias praedicandi evangelii causa profectus sit?* Antequam ad hanc quaestionem inter eruditos valde controversam respondeatur, notandum est, quod praesens quaestio non de *Iacobo Alphaei*, qui alio nomine *Iacobus minor* appellatur, neque de tertio quodam *Iacobo*, qui fuerit episcopus hierosolymitanus, et iuxta quosdam etiam auctor epistolae canonicae, quae *s. Iacobi* dicitur, sed non apostolus ex duodecim, instituat. Neuter enim horum in Hispanias ex causa supra memorata profectus legitur. Sed quaestio solum est de *Iacobo Zebedaei*, qui etiam *Iacobus maior* dicitur. Quaeritur nimirum, utrum *Iacobus maior* aliquando in Hispaniam profectus sit, atque in hanc regionem Christi fidem invexerit? Multi enim recentiores critici hoc negant, et inter hos quoque *Natalis Alexander* (3), statuens has duas propositiones. *Propositio I. Traditione constat, s. Paulum in Hispanias profectum, ibi ecclesiam fundasse*. Nam de *s. Pauli* ad hispanos itinere testantur *s. Athanasius*, *s. Cyrillus Hierosol.*, *s. Epiphanius*, *s. Chrysostomus*, *Theodoretus*, *s. Hieronymus*, *s. Gregorius M.* ab

(3) Tom. 3 Hist. eccl. saecul. 1, dissert. 45.

eodem auctore citati. *Propositio II. S. Iacobum nusquam in Hispaniam profectum, validis argumentis demonstratur*. In eandem *Natalis Alexander* sententiam propendet etiam *Hon. raturus a. Maria* (1), quamvis alibi (2) pro opposita sententia citat *de Marca* epist. ad *Henric. Valesium*. Praeterea *Ioan. Dominicus Mansi* Congregatione Matris Dei (3) ait, modo inter sapientes criticos exploratum esse, *s. Iacobum* in Hispaniam Christi fidem non invexisse.

*Nihilominus* (prout idem *Ioan. Dom. Mansi* loc. cit. advertit) Hispanicam *s. Iacobi* praedicationem defendendam suscipere plures auctores magni nominis, quorum nomina usque ad aetatem suam recenset *Ioannes Albertus Fabricius* (4), quibus addendi sunt *Guillelmus Cuperus* (5), *Henschenius* (6), *Adrianus Daude* (7), *Caietanus Cenni* (8), aliique hispani in actis ss. *Bollandianis* (9) indicati.

Haec de itinere *s. Iacobi* apostoli in Hispaniam praedicandi evangelii causa suscepto breviter commemoranda duximus, studioso lectori ad augendam eruditionem servitura.

(1) De regulis et usu criticis, tom. 1, pag. 167.

(2) Ibid. pag. 295 in nota.

(3) Vide citatum locum *Natalis Alexander* in editione opera et studio *Constantini Romaglia* congregationis eiusdem cum notis *Ioannis Dom. Mansi* Ferrariae excusa an. 1760, et Venetiis prostante apud *Thomam Bellinelli*.

(4) In salut. Luc. Evangelii c. 16, § 2.

(5) In Actis SS. in appendice ad tom. 6, iulii.

(6) Ibidem in Diatriba, ad t. 4 aprilis.

(7) In Historia universali Rom. imperii l. 1 Hist. eccl. § 3. Et in animadversione 5 ad cap. 2, lib. 1.

(8) De antiquit. Eccles. Hispan. tom. 1, dissert. 1, c. 2.

(9) In appendice, tom. 7 iulii.

(10) Dixi: contra *Lutherum*. Huic tamen

2. QUÆRES II. *An epistola catholica b. Iacobi apostoli merito in canonem divinatorum librorum relata sit?* R. affirmative contra *Lutherum* (10) et huius assecclas: quamvis hodie protestantes ab inconsulta magistri sui opinione recedant. Porro canonica dictae epistolae auctoritas ostenditur ex patrum et universalis ecclesiae consensu. Nam epistola *s. Iacobi* ponitur in catalogo divinatorum librorum a concilio *Laodicensi* can. 59, *Chartaginensi* III can. 47, *Florentino et Tridentino*; item ab *Innocentio I* et *Gelasio* summis pontificibus (11). Praeterea hanc epistolam ad probandum dogma ecclesiasticum adfert concilium *Milevitanum*, can. 7. Eandem citant auctor operum sub nomine *Dionysii* (12), *Origenes* (13), *Ephrem Syrus* (14), *Cyprianus* (15), *Augustinus* (16), plurimique alii omnium a condita ecclesia saeculorum, de quibus vide *Bellarminum*.

#### SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA

3. ARGUM. I. Teste *Eusebio* (17) epistola *Iacobi*, et illa *Judae* est adulterina: ergo. Ita obiiciunt centuriatores *magdeburgenses* (18). R.

ista in re contrarius est *Calvinus*, teste cl. *Hermanno Goldhagen*, de epistola *s. Iacobi* ita loquens: *Ego, quia nullam eius repudiandae causam satis iustam video, libenter eam sine controversia amplector*. Caeterum ipse etiam *Lutherus*, quamvis in praefatione epistolae *s. Iacobi* negat, eam esse canonicam, eandem tamen ut bonam et utilem laudat, eique, qui vollet, permittit, ut eam in canonicarum *Scripturarum* numero habeat.

(11) Vide part. 4 s. Scripturae contra incredulos prop. V. T., sect. 1, q. 1, n. 3.

(12) De divin. nomine, c. 4.

(13) Homil. 7 in Iosue.

(14) Serm. de poenitentia.

(15) L. ad Novatianum.

(16) L. 2 de doctrina christiana et alibi.

(17) L. 2 Histor. c. 25.

(18) Centur. 1, l. 2, c. 4.

nego ant. Nam *Eusebius* cit. loc. sciendum est, inquit, quod a nonnullis non recipiantur, sed addit: nos tamen scimus, etiam istas cum caeteris ab omnibus pene ecclesiis recipi.

DICES: Saltem *Hieronymus* (1) de epistolae *Iacobi* canonica auctoritate dubitavit, dicens: Unam scripsit (*Iacobus*) epistolam, quae de septem catholicis est; quae et ipsa ab alio quodam sub nomine eius asseritur; licet paulatim, tempore procedente, obtinuerit auctoritatem. R. Ex his verbis s. *Hieronymi* non potest concludi, eum de authentia huius epistolae dubitasse. Postrema enim verba solum ex aliorum mente refert; suam autem sententiam exprimit praecedentibus verbis; unam scripsit epistolam, quae de septem catholicis est; quo dicto satis refellit falsam illam opinionem putantium, eandem ab alio quodam sub nomine *Iacobi* esse editam.

AT INQUIES: Si epistola s. *Iacobi* canonica est, cur de illa plures veteres ex. gr. *Clemens romanus*, *Polycarpus*, *Iustinus* silent? R. Multa patrum monumenta perierunt, in quibus, utrum huius epistolae meminerint, nec ne, ignoramus. Praeterea silentium auctoris de re quae saepe non probat, rem ipsam eidem fuisse incognitam, aut ab eo improbatam. Denique, licet alii silent, tamen de hac epistola tanquam catholica et canonica mentionem faciunt *Hieronymus*, *Origenes*, *Augustinus*, aliique.

4. ARGUM. II. Epistola s. *Iacobi* contradicit aliis s. Scripturae locis: ergo male in canonem divinatorum librorum relata est. Prob. ant. *Iacob* 1, v. 13 dicitur: *Deus... neminem tentat*. Sed *Genes*. 22, v. 1, *Deus* tentavit *Abrahamum*. Et *Deut*.

(1) L. de Viris illustr.

13, v. 3 dicitur: *Tentat vos Dominus Deus vester*. R. Et textus apparenter sibi contradicentes explico. *Deus* neminem tentat tentatione, quae ad peccatum invitat. Essentialis enim bonitas Dei non potest ad malum invitare. His non obstantibus, *Deus* tentavit *Abrahamum*, tentavit hebraeos; quia haec tentatio non est seductionis, neque ad peccatum, sed est probationis et ad maius meritum, et ad maiorem coronam. Ita s. *Augustinus* hanc objectionem solvit, dicens (2): *De Deo Iacob* 1, v. 13 *Scriptura dicit: IPSE AUTEM NEMINEM TENTAT; nec contraria est ista sententia ei, qua dicitur Deut. 13, v. 3: TENTAT VOS DOMINUS DEUS VESTER; sed solvitur quaestio cum vocabulum tentationis diversas intelligentias habeat, eo quod alia sit tentatio deceptionis, alia tentatio probationis; secundum illam non intelligitur, qui tentat, nisi diabolus, secundum hanc vero tentat Deus*. Hucusque doctor *hipponensis*, qui idipsum confirmat alibi (3).

DICES I. *Iacob* 1, v. 3, legitur: *Probatio patientiam operatur*. Contra s. *Paulus* ad *Rom.* c. 5, v. 3, ait: *Patientia probationem operatur*. Ergo *Iacobus* contradicit *Paulo*. R. Conc. ant. neg. cons. Nam duae res sibi invicem saepius causae sunt, quin ideo contradictio sequatur. Sic calor producit ignem, et ignis calorem: vapor causat pluviam, et pluvia vaporem. Dein omnis contradictio abest, si cum *Calmeto* et aliis consideremus, quod in diverso sensu vox *probatio* in citatis locis adhibeatur, ita ut apud *Iacobum* significet actualem probationem, quae est tribulatio, qua examinatur, probatur et exploratur hominis fides et virtus; apud *Paulum* vero ipsum effectum et terminum probationis,

(2) Epist. 146 ad Consentium.

(3) L. de consensu Evang. cap. 30.

quia patientia, seu tribulationis sancta permissio facit, ut homo patiens sit probatus et Deo carus: *Iacobus* igitur cum *Paulo* conciliatur, si alati textus exponantur hoc sensu: « *Probatio*, hoc est, malorum et aerumnarum, quibus a Deo exeremur, *permissio patientiam operatur*, nosque humiles magis, subiectos, patientes reddit (nam malorum permissione habitum patientiae acquirimus). Et *patientia* scilicet malorum permissio, *probationem operatur*, probatos efficit, et Deo caros. »

DICES II. Et quaeres: An s. *Iacobus*, dum in sua epistola, cap. 2, iustificationem non soli fidei, sed operibus adscribit, non contradicat s. *Paulo*, ad *Rom.* cap. 3 docenti, hominem iustificari ex fide sine operibus? R. Et cum *Augustino* (1) dico, *Iacobum* et *Paulum* cit. loc. non pugnare inter se. Nam *Paulus* loquitur de prima iustificatione, qua homo fit iustus ex iniusto, et nomine operum intelligit opera, quae sunt sine fide et gratia, solis viribus liberi arbitrii: *Iacobus* autem loquitur de secunda iustificatione, qua quis ex iusto fit iustior, iuxta illud *Apoc.* ult. v. 11: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*; et nomine operum intelligit opera, quae fiunt cum fide et auxilio gratiae Dei. Quemadmodum enim non potest homo se ipsum procreare, vel a mortuis excitare, tamen posteaquam natus est, potest se ipsum opere suo alere, et augere: ita non potest peccator se ipsum iustum facere: potest tamen, cum iustus est, operibus suis augere iustitiam.

SCHOLION. Quae in epistola catholica s. *Iacobi* leguntur, cuncta sunt omnino digna viro divinitus inspirato; id tamen sacer auctor sibi pe-

(1) Praefat. in ps. 51.

culiariter in ea proposuit, ut *Simonis Magi* haeresim refelleret, quae Samariae, atque non longe a Hierosolyma grassabatur. Solam autem fidem praerequiri ad salutem, non vero necessaria esse bona opera *Simoniani* ex illis *Pauli* ad *Rom.* 3, v. 28, verbis male intellectis, *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, perperam inferebant, prout s. *Augustinus* alibi (2) clare testatur, dicens: « Cum ergo dicit apostolus, arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus legis; non hoc agit, ut percepta et professa fide opera iustitiae contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem iustificari, etiamsi legis opera non praecesserint. Sequuntur enim iustificatum, non praecedunt iustificandum... Quoniam ergo haec opinio (ad iustificationem sufficere solam fidem sine operibus) tunc (nempe temporibus apostolorum) fuerat exorta, aliae apostolicae epistolae, *Petri*, *Ioannis*, *Iacobi*, hidae contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse *Paulus*, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque evangelicam definit, cuius opera ex dilectione procedunt. » SED FIDES, inquit, quae PER DILECTIONEM OPERATUR. Ex quo loco s. *Augustini* denuo confirmatur, et elucet veritas nostrae responsionis ad praesentem objectionem paulo antea datae.

DICES III. Apostoli semper solent in suis epistolis aliquid interserere de fidei doctrina: epistola vero *Iacobi* muta est de doctrina fidei, et solum de operibus condonatur: ergo non est apostolica aut divinitus inspirata. R. Scriptorem huius epi-

(2) L. de fide et operibus c. 14.

stolae de industria peculiariter commendare exercitium honorum operum; quia, ut num. immediate praecedente a nobis ostensum est, ii, adversus quos ipse scribit, doctrinam fidei nimis extollebant, et bona opera negligebant. Dein, etsi apostoli in scriptis suis soliti sint de doctrina fidei agere, non sequitur quod Spiritus s. idem argumentum scribendum inspiraverit in epistola *Iacobi*, praesertim quia huius epistolae scribendae scopus praecipuus, ut dixi, aliud postulabat. Neque adversarii habent ius aut potestatem Spiritui s. praescribendi regulas, quid et de qua materia scribenda apostolis inspirare debuerit. Caeterum etiam illud falsum est, quod epistola *Iacobi* de doctrina fidei mutasit. Ut enim nihil dicam de dogmate extremae unctionis, quod nos inter et protestantes controversum est, quodque ex epistola catholica s. *Iacobi* recte probatur, numquid etiam ad doctrinam fidei pertinet, quod *fides sine operibus mortua sit*; *Iacob. 2, v. 26*, quod *coronam vitae... repromisit Deus diligentibus se, etc.*? Denique cum *Bellarmino* (1) observo; si ideo epistola *Iacobi* adulterina iudicanda est, quia tota fere consumitur in operibus bonis commendandis, tunc Proverbia quoque, et Ecclesiastes adulterini libri existimari deberent, cum in iis potissimam partem conciones de moribus legantur, vel si Proverbia et Ecclesiastes inter sacros libros habendi sunt, adversariis ipsis consentientibus, nulla certe caussa est, cur *Iacobi* epistolam libris illis per similem reiiciamus.

Dices IV. Auctor epistolae *Iacobi* cap. 1, v. 15, legem testamenti veteris vocat legem libertatis, dicens: *Qui autem perspexerit in legem per-*

(1) L. 4 de verbo Dei c. 18 in responsione ad argumentum quintum.

*fectam libertatis... hic beatus in facto suo erit.* At apostolus *Paulus* ad *Galat. 4, v. 24* illam vocat legem servitutis. Non igitur utraque epistola a Deo inspirata esse potest: constat autem epistolam ad *Galatas* a Deo inspiratam esse: igitur quae fertur nomine *Iacobi*, non a Deo inspirata, sed a Deo inspiratae contraria est. R. *Iacobum* non loqui de lege veteri sed de nova, cum eam legem libertatis appellat. Neque obest, quod mentionem faciat observationis praeceptorum, quae iam in veteri lege in decalogo erant proposita. Siquidem praecepta decalogi non minus ad christianos, quam ad hebraeos pertinent, ut ex 5 capite *Matthaei* aliisque locis colligitur: sed hoc interest inter novum et vetus testamentum, quod vetus leges adferebat, non autem vires ad eas leges implendas suppeditabat; proinde lex timoris ac servitutis et dicebatur, et erat. Testamentum vero novum una cum legibus gratiam praebet, qua homines adiuti facile et libere, ac libenter implent ipsa praecepta, et propterea christiani dicuntur non esse sub lege, et iustis dicitur lex non esse posita; non quod eam servare non debeant, sed quia lex eos non gravat, cum eam adiuvente gratia perlibenter observent. Unde etiam s. *Iacobus* cit. loc. legem evangelicam merito vocat *perfectam*, cum lex mosaica fuerit imperfecta: quia lex evangelica dat perfecta vitae et virtutis non tantum documenta et praecepta, sed et auxilia gratiae, eaque fortia et copiosa.

Sed et *Augustinum* haec ipsa doctorem (2) audiamus: *Si spiritu ducimini, inquit, non estis sub lege, utique lege, quae timorem inculcit, non tribuit caritatem, quae caritas*

(2) L. de natura et gratia c. 57.

*Dei diffusa est in cordibus nostris, non per literam, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Haec est lex libertatis, non servitutis, quia caritatis utique, non timoris, de qua et Iacobus apostolus ait; qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis.*

5. ARGUM. III. Auctor epistolae *Iacobi* cap. 2, v. 10, ita habet: *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Sed quomodo hoc est verum? Multi enim unam legem tantum violant, caeteras observant. Ergo unius tantum fiunt rei, non autem caeterarum omnium. R. Omissis variis aliorum responsionibus, quas recenset et refellit *Cornelius a Lap.* (1), observo, teste eodem interprete et aliis, illo tempore, quo haec epistola scripta est, fuisse errorem et haeresim pharisaeorum, qui, uti in explicandis praeceptis decalogi alias varie (2) errabant; ita pariter censebant, unum aut alterum legis praeceptum transgredi non esse grave peccatum, hominem irae divinae reum, et condemnationi obnoxium faciens; a potiore enim parte, quam servat, dicebant censendum esse iustum potius, quam ab una violata iniustum. Contra hos asserit loc. cit. s. *Iacobus*, eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, Deique offensam et iram incurrere, utpote qui tam unum quam alterum praeceperit: qui enim universam legem condidit, singula quoque eius praecepta condidit. Hinc v. 11 hanc rationem addit: *Qui enim dixit: Non moechaberis, dixit et, non occides. Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

At INQUIES: Qua ratione factus est omnium praeceptorum reus, cum

unum dumtaxat, uti ponitur, violaverit? R. ad omnium intelligendum est coniunctim, sive copulativum sumptorum. Omnes enim leges et praecepta integrant et constituunt unam legem totalem, sicut decem praecepta integrant et conflant decalogum. Quare sensus, ut paulo ante dixi, prodit iste: Qui unam legem violat, totam legis universitatem, quae ex singulis legibus integratur, violat, spernendo legislatoris, puta Dei, maiestatem. Violat ergo omnia non singula, omnia, inquam, coniunctim sumta, quatenus omnia conflant unum totum; violat totam legem seu universitatem legis: quia totum desinit esse totum, si una dumtaxat pars ex eo dematur; esto caeterae in eo remaneant, et sic toto violato omnes partes, quae illud integrant, etiam violantur, quatenus illud integrant. Sic qui fornicatur, totum decalogum, qui denominatur a denario mandatorum, ex iisque instar unius compositi coalescit, transgreditur. Esto enim caetera omnia servet, non tamen potest dici servasse et implese decalogum. Plura in hanc rem more suo solide ac erudite disserit *Cornelius a Lap.* loc. cit.

## CAPUT II.

*De duabus epistolis sancti Petri apostoli.*

EPISTOLA I. PETRI continet partim gratias, partim monita saluberrima pro cuiusvis conditionis, et aetatis fidelibus ad innocentiae in baptismo acceptae custodiam, ad orationem, mutuam dilectionem, temperantiam et obedientiam accommodata.

EPISTOLA II. Hortatur fideles, ut secundum accepta a Deo dona ad

(2) Vide dictionarium biblicum *Calmeti* art. *Pharisaei*.

(1) Comment. in epist. *Iacob.* c. 2, v. 10.

virtutem nitantur, sicque coelestis regni participes fiant. Iubet ipsos vitare pseudo prophetas, quibus graves minas intentat; agit etiam de secundo Christi adventu.

6. QUÆRES I. *An epistola I. Petri sit canonica?* R. Affirmative. Nam haec epistola est legitima s. Petri, ac Scriptura canonica confessione omnium catholicorum, nullusque unquam de eo dubitavit, teste *Eusebio* (1). Unde concilia, pontifices et patres, qui catalogum librorum canonicorum contexuerunt, in eo indubitate collocarunt hanc epistolam. Citat eos exacte et fuse *Coccius* in *Thesaurio Cathol.* (2).

7. QUÆRES II. *Quem sensum verba illa (1. Petri, v. 19 et 20): His, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit; qui increduli fuerant aliquando... in diebus Noë, etc. habeant? Num inde increduli merito inferre possent, praedicationem animae Christi descendens ad inferos profuisse damnatis, eosque salvasse?* R. Negative, simulque nego suppositum, quod s. Petrus his verbis loquatur de damnatis, sed sensus (3) est iste « Anima Christi descendens ad inferos adventum suum annuntiavit etiam animabus eorum, qui ante diluvium credere noluerunt Noë ipsis proximum malum praedicanti. » Hoc tamen non prohibebat, quominus ii verum Deum metuerent, atque adorarent, et cum diluvii aquae coelo deciderent, poenitentia ducti ad Deum confugerent, et salutariter contriti obirent; sicut in naufragio saepe etiam obstinati peccatores compunguntur et agunt poenitentiam. Ita s. *Hieronymus* cum aliis, quos citat *Cornelius a Lap.* comment. in

(1) L. 5 *Histor.* cap. 5.  
(2) *Tom.* 1, l. 6, pag. 720.  
(3) Vide *Calmet.* comment. in 1 *Petri*, c. 5, v. 19.

*Genes.* c. 6, v. 5. Horum ergo animas Salvator, cum in limbum descenderet, inde cum antiquorum patriarcharum animabus eduxit.

SCHOLIUM. Inter diversas explanationes citati loci I. Petri c. 3, v. 19 et 20, quas *Cornel. a Lap.* et *Calmetus* comment. in hunc locum recensent, una est aliquorum veterum, qui censebant, animam Christi descendentem ad inferos praedicasse etiam damnatis, eosque convertisse et liberasse ex inferno, saltem aliquos eorum, qui minus fuerant mali et increduli. Id dicere videtur ex *Hermete* sive Pastore *Clemens Alexandr.* (4), aliique quidam patres. Dubitasse etiam de hac re videtur *Nazianz.* (5). Id ipsum discrete asseruit *Murcion* haeresiarcha. Docnit enim, ut ait s. *Epiphanius* (6), *Christum... in infernum descendisse, ut salvaret Cain, Core, Dathan et Abiron... et omnes gentes, quae non noverunt Deum iudaeorum, etc.* Verum haec sententia pugnat cum ecclesiae fide, qua docemur, nullam esse in inferno redemptionem, hominemque semel damnatum nunquam e damnatione evasurum. Quare patres, qui contrarium videntur iudicare, in bonam partem et benigne exponendi sunt, ut *Cornel. a Lap.* (7) cum aliis observat, quem consule.

8. QUÆRES III. *Quomodo s. Petrus in sua prima epistola cap. 5, v. 13, scribere potuerit: SALUTAT VOS ECCLESIA, QUAE EST IN BABYLONE; cum tamen hanc epistolam s. Petrus Romae scripserit? Quid Romae commune cum Babylone?* R. Per *Babylonem* s. Petrus hoc loco intelligit *Romam*, inter quam et *Babylonem* tunc temporis permagna similitudo intercessit. In utraque

(4) L. 6 *Strom.*  
(5) *Orat.* 42 sub finem.  
(6) *Haeres.* 42.  
(7) *Comment.* in 1 *Petr.* c. 3, v. 19.

enim civitate horrida errorum ac scelerum confusio regnabat: utraque hominibus sanctis ac iustis infensa, et idololatriae sedes erat. Dein s. Petrus sapienter *Romam* tropico nomine *Babylonis* textit, ne christianorum hostes *Romae* ecclesiam novam residere audientes, odia sua in s. Petrum, et fideles *Romae* degentes toto furore converterent: atque haec inter caeteras fors causa fuerit, cur s. Paulus suis in epistolis *Roma* scriptis mentionem de s. Petro nullam fecerit.

SCHOLIUM. Scio quidem, quosdam recentiores criticos docere, s. Petrum, cit. loc. nomine *Babylonis* non intelligere *Romam*, sed *Babylonem* metropolim chaldaeorum, ut vult *Salmasius*, *Basnagius*, *Carreus*, et *Elias du Pin*: vel *Babylonem* in Aegypto olim sitam haud procul ab hodierna *Cairo*, ut suspicatur *Ioannes Pearsonius*; vel denique *Hierosolimam* a vexatione christianorum illo tempore famosam, ut vult *Lud. Capellus*. Verum novellis his opinionibus recentiorum criticorum praeferenda est antiquissima patrum, et fere omnium catholicorum sententia, per *Babylonem* hic a s. Petro intelligi *Romam* asserentium. Nec quisquam ante *Calvinum* fuit, qui hoc in dubium vocaret: praesertim quia etiam s. *Ioannes* (1) *Babylonis* nomine *Romam* gentilem denotat. Ratio autem, cur *Calvinus* a veteri illa patrum sententia recesserit, dicitur et vi-

(1) *Apoc.* cap. 17, v. 5, et alibi; prout ostendit *Cornel. a Lap.* in *Apoc.* c. 17, v. 5, et cap. 18, v. 2.

(2) P. 5 *introduc.* in s. *Script.*, p. 465, n. 500.

(3) L. 5 *Histor.* c. 23.

(4) *Praefat.* in secundam epistolam s. *Petri*

(5) In exam. *Concil. Trident.* sess. 4.

(6) *Cent.* 1, l. 2, c. 4.

(7) *Part.* 4 s. *Script.* contra *incred.* *propugn.*, V. T., sect. 1, q. 1, n. 4.

detur esse ista, quia iter s. Petri *Romam* temere negavit. Plura de praesenti quaestione vide apud cl. *Hermannum Goldhagen* (2) qui hac de re perquam solide et erudite scripsit.

9. QUÆRES IV. *An epistola Petri revera sit illius, atque canonica?* R. Affirmative. Quamvis enim nonnulli olim de auctore et auctoritate huius epistolae dubitaverint, teste *Eusebio* (3), et posterioribus temporibus teste *Cornel. a Lap.* (4), *Lutherus*, *Erasmus*, *Kemnitius* (5), ac *Centuriatores* (6): tamen hanc epistolam esse s. Petri, esseque canonicam Scripturam, invicte demonstratur ex sensu totius ecclesiae, ex *concil. carthaginensi* III, c. 47, *concil. florent.* et *trident.* sess. 4; prout iam alibi (7) ostendimus. Unde *Didymus* in hanc epistolam commentatus est; et s. *Hieronymus* (8), ac s. *Gregorius* (9) testantur, eam esse germanam s. Petri. Idem satis insinuat s. *Iudas*, qui in sua epistola passim ad hanc alludit, imo multa ex ea depromsit. Denique s. *Athanasius* (10), *Gregor. Naz.* (11), *Cyrillus Hieros.* (12), *Hilarius* (13), caeterique patres citant eam tanquam canonicam. Praeterea in hac epistola nomen *Simonis Petri*, statim cap. 1, v. 1, inscriptum est his verbis: *Simon Petrus, servus et apostolus Iesu Christi, iis, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem, etc.* Hoc autem nomine s. Petrum apostolum in evangelio saepe (14) designari certum est. Deinde auctor huius epistolae cap. 1, v. 16 ita

(8) *Ep.* 150, q. 11.

(9) *Homil.* 48 in *Ezech.*

(10) in *Synopsi*, et *orat.* 2 contra *Arian.*

(11) In *carm.* de *Script. sacr.*

(12) *Catech.* 4.

(13) L. 4 de *Trinitate.*

(14) *Matth.* c. 10, v. 2, *Marc.* c. 3, v. 16; *Luc.* c. 5, v. 8; *Ioan.* c. 18, v. 10, et alibi.